

esse censentur, quando probationes, instrumenta, documenta, argumenta in partibus pro et contra producta ita sunt constituta, ut consideratis considerandis iudex prudenter discernere non valeat, sed merito dubius hæreat, pro quam parte genuina veritas et justitia militet. His notatis

6. *Verus sensus regulæ quis?* — Resp. ad quæstionem, n. 2, positam, regulam in sequenti sensu, qui genuinus et verus est, intelligendam esse: si partem jura, id est, earum probationes et allegationes non sunt satis claræ seu manifestæ, sed dubiæ et obscuræ, seu ita constitutæ, ut iudex æquo animo consideratis considerandis prudenter discernere non possit, quænam prævaleant, aut pro qua parte justitia magis militet, reo potius, quam actori favere, consequenter illum a petitione auctoris absolvere debemus. » Per jura clara, n. 1, allegata.

7. *Declaratur exemplis juris.* — Declaratur juris exemplis: sic enim si duo iudices ordinarii super eadem causa cognoscant, et unus reum absolvat, alter vero condemnet eundem, quia jura censentur obscura, absolutoria sententia rei ob favorem ejusdem præferenda est, l. *Inter pares*, 38, ff. *de Re judicat.*, et l. *Arianus*, 47, *de Obligat. et action.* Dynus in hanc reg. n. 2. Sic pariter si ago contra Titium hypothecaria actione, et probo rem mihi esse obligatam a domino: Titius vero probet, illam rem sibi eodem die a domino fuisse obligatam, consequenter quinam prius vel posterius non appareat, sed obscurum maneat, Titius tanquam reus absolvendus est, l. *Si debitor*, 10, ff. *de Pignor.* Sic in aliis causis civilibus, si partium jura præfato modo manent obscura, semper reo magis quam actori favendum, sicque reus vel statim absolute absolvendus, vel saltem præ actore subinde ad juramentum suppletorium admittendus est in causis dictum juramentum admittentibus juxta dicta lib. II, tit. XXIV, *de Jurejur.*, a n. 191.

8. *Ratio regulæ, et sensus illius.* — Præter jura jam allegata ratio universalis est, quia reus invitus, et perierumque inopinatus, et impræparatus in iudicio comparere debet: cum e contra actor prius cunctis sibi necessariis et conducentibus jam prævisus reum adhuc impræparatum ad iudicium inopinato citari faciat, sicque plus illi, quam huic favore æquitas postulet, uti cum aliis in hanc regulam observat Barb., n. 3, præsertim cum suadente humanitatis ratione jura prompta

tiora sint ad absolvendum, quam condemnandum, cit. c. *Ex litteris de probat.*

9. *Solvitur objectio.* — Objicitur contra regulam: l. *Si quis intentione*, 66, ff. *de Judic.*, jubemur petitionem ambiguum actoris in favorem ipsius interpretari; ergo non semper reo, sed etiam actori in dubio favendum est. Respondet Glossa, hanc legem intelligendam esse de initio causæ, non de fine ipsius, quando agitur de ejusdem decisione, circa quam observanda est regula XI. Verum Barb., loc. cit. cum aliis rejecta opinione Glossæ merito censet, regulam ab initio, in medio et fine iudicii esse observandam, cum non loquatur de claritate vel obscuritate petitionis ab actore factæ (quam utique non in illius odium, sed favorem interpretari oportet, arg. cit. l. *Si quis*.) sed de juriis ab utraque parte productorum obscuritate post sufficientem discussionem adhuc remanente, volens, ut hac stante semper reo potius quam actori faveatur per concordantia jura n. 1, citata.

10. *Fallit regula in causis favorabilibus.* — Quæritur II. An et quæ dentur fallentiæ contra regulam? Resp. Eam fallere primo in casu quo actor fovet causam favorabilem, puta, pro matrimonio, libertate, dote aut testamento; in hujusmodi enim casibus stante dubio actori potius quam reo favendum est, Barb., hic n. 4, c. fin. *de Sentent. et re judicat.* juncto c. *Ex litteris de probat.* et aliis juribus citatis a Glossa hic, quæ hosce duos versiculos addit:

Stat testamentum, libertas, conjugium, dos,  
Si sunt æquales, qui producuntur utrinque.

11. *Item in causis piis.* — Fallit secundo in omni causa pia, si eam tuetur actor juxta Tiraquel. *de Privileg. piæ causæ privil.* 146, cum seqq.; Barb., loc. cit. Ratio est, quia causæ piæ etiam inter favorabiles causas veniunt.

12. *Et si actor in possessione. In pari causa potior est conditio possidentis.* — Fallit tertio, si actor est in possessione: in hac enim et ipse tuendus est, donec de iure partis adversæ constet, c. *Ex litteris*, 3, §. *Quod si, de Probat.* et l. fin. c. *de R. V.* Ratio est, quia in possessione existens actor præter jura, quæ cum reo paria habere censetur, etiam militante pro se gaudet regula 65, juris in 6, « In pari causa potior est conditio possidentis. »

## REGULA XII.

## IN JUDICIIS NON EST ACCEPTIO PERSONARUM HABENDA.

1. *Regula unde desumpta?* — Hæc regula conformis est præcepto divino *Deut. I, 16, 17*, ibi: *Quod justum est judicate, sive civis sit ille, sive peregrinus: nulla erit distantia personarum, ita parvum audietis, ut magnum, nec accipietis cujusquam personam: quia Dei iudicium est.* Et traducta videtur ex c. *Novit. §. Cæterum de Judicis*, et c. *Statutum, 11, § Insuper.* et seqq. *de Rescript.* in 6, ac c. 1, *de Sentent. et re judicata*, in 6.

2. *Quid intelligatur in regula per verbum in Judicis?* — Quæritur I. Quomodo hæc regula intelligenda, et quis verus illius sensus sit? Resp. I. Verbum *in Judicis* in hac regula sumitur in lato sensu, ita ut nomine iudiciorum intelligantur non tantum discussio et definitio causæ inter actorem et reum controversæ, sed etiam alii actus, quibus examinantur et judicantur personarum jura, merita, qualitates in ordine ad justitiam tam distributivam quam commutativam administrandam: in quo sensu vi regulæ reprobat acceptio personarum non solum quando juxta justitiam commutativam discutitur et judicatur causa inter actorem ac reum, sed et si discutuntur et judicantur jura, merita, qualitates, habilitates, etc., ad servandam justitiam distributivam in conferendis beneficiis, officiis, dignitatibus, imponendis pro bono publico communibus oneribus, etc., in quibus, uti in illis non est habenda acceptio personæ, seu non sunt attendendæ qualitates illius ad rem nihil facientes vel conferentes, sed id tantum, quod juxta jura, æquitatem et exigentiam rei, pro causa vel objecto pius, minusve servit, uti cum aliis bene observat Dynus, hic n. 7; Barb., hic n. 3; Strein, hic n. 1; Vincentius Tauino ord. min. reform. glossator regularum juris solidus et clarus, hic n. 8 et magis patebit ex num. sequenti.

3. *Acceptio personarum quid?* — Per Acceptio personarum intelligit, et reprobat regula illud vitium, quo aliquid, quod exigente justitia debetur uni, confertur vel adjudicatur alteri non intuitu juris vel meritum hunc præ illo magis dignum vel aptum facientium, sed ob aliquam personæ conditionem, aut qualitatem, quæ ad id, quod confertur, prorsus nil facit vel confert, v. g. quia pulcher, quia affinis, quia consanguineus

est: sic committitur acceptio personæ contra regulam, si iudex ei contra æquitatem adjudicat causam, quia illius affinis est; cum affinitas prorsus nil faciat ad justitiam causæ: item si quis alicui præ alio longe digniore confert parochiam, quia ejus consanguineus est; quia consanguinitas nil confert ad parochiam: item si quis alicui præ alio longe utilior confert officium publicum, a quo bonum commune multum dependet, quia amat illum, vel reciproce quia æstimatur aut amatur ab illo; cum nec passivus nec activus amor horum quidquam faciat ad officium publicum, uti bene advertunt doctores in præced. citati, estque in re etiam communis theologorum acceptionem personarum sic explicantium.

4. *Quando non exigente justitia, sed ex mera libera voluntate quid confertur, potest sine acceptione personarum una præ alia respici.* — Notanter autem dicitur, quod « exigente justitia » commutativa nempe, vel distributiva, « debetur uni; » quia in casu, quo quis non ex justitia, sed ex mera gratia et libera voluntate aliquid v. g. elemosynam tribuit, vel distribuit, non committit vitiosam acceptionem personarum, si unam personam v. g. consanguineam, gratam, amatam præ alia respicit, uni nil vel minus aut plus quam alteri largitur, vel largiri facit, uti cum sancto Thomas, 2, 2, q. 63; Sylvestro, §. *Acceptio personarum* et aliis advertit Barb., hic n. 4, id bene declarans exemplo divino. Sic enim ait: « Quia Deus non ex debito justitiæ, sed ex mera gratia, bonitate et benignitate dona sua et gratias prout vult, distribuit (si enim ex justitia esset debitor gratiæ, jam gratia non esset gratia) non dicitur acceptor personarum, quando præfata dona sua diversimode, uni multa et magna, alteri modica et pauca, uni duo, alteri quinque talenta pro divino beneplacito suo distribuit; » uti patet ex textu Evangelii apud *Matth. xx, 15*, *Aut non licet mihi, quod volo, facere.* Hinc:

5. *Verus sensus regulæ quis?* — Resp. II. Verus sensus regulæ hic est: « In Judicis, seu, quando ex justitia commutativa, vel distributiva aliquid judicandum vel distribuendum est, non est, habendus respectus vel acceptio personarum, hoc est, non debet id, quod exigente justitia uni debetur, alteri adjudicari vel tribui intuitu alicujus conditionis vel qualitatis in persona repertæ, quæ ad justitiam causæ, quæ judicatur, vel ad rem, quæ tribuitur, nihil facit aut confert. »

Per jura n. 1, citata. Cujus ulterior ratio est, quia justitia semper et ubique intendit æquitatem et æqualitatem: commutativa quidem arithmetice, uti vocant, id est, ut perfecte et exacte in substantia, qualitate, pondere, numero, mensura vel æstimatione tantum detur, quantum debetur: distributiva vero geometricam, id est talem, qua beneficia, dignitates, munera et officia publica, bona et onera communia juxta exigentiam et diversitatem qualitatum, meritorum, facultatum, idoneitatis, etc., ita distribuuntur ac conferuntur, ut is, qui bonis qualitibus, meritis, idoneitate, etc., manifeste prævalet, aliis in collatione vel promotione præferatur, vel melius, utilius, nobilius, et dignius quid, quam alter minus dignus accipiat: ac ille, qui minus in facultatibus habet, ad minus, ille vero, qui majoribus facultatibus gaudet, ad plus pro sublevanda publica necessitate contribuendum adigatur; quam æquitatem vel æqualitatem in alterutro si quis intuitu impertinentis ad rem qualitatis vel conditionis in persona repertæ lædit, contra justitiam commutativam, vel distributivam procul dubio relinquit, et vitiosam acceptionem personarum habere censetur, uti cum præcitatatis etiam alii tam theologi, quam juristæ bene observant.

6. *Solvitur objectio.* — Objicitur contra regulam et sensum ejus can. Clerico, 37, dist. 50, et c. Nisi speciali, 3, de Offic. legal. ubi expresse habetur, quod Papa ex speciali erga personam amore remisit pœnam delicti; nam cit. c. Nisi dicitur: « Nisi specialis illa dilectio, quam ad personam tuam habuimus, et habemus justum motum animi nostri temperaret, pœna docente cognosceres, quantum excesseris. » Resp. Quamvis etiam in justitia vindicativa iudices inferiores non possint habere respectum et acceptionem personarum, nisi in casibus a jure præscriptis (nam pro mensura peccati erit plagarum modus. Deut. xxv, 2,) tamen aliud est in principe supremum, utpote qui lege sua superior existens jus aggratiandi, et pœnam remittendi vel mitigandi habet per vulgaria.

7. *Ponuntur apparentes, sed non verè fallentiae contra regulam.* — Quæritur II. An hæc regula et quas fallentias patiat? Resp. Aliquos, uti casum in præced. num. ita et alios ponunt, in quibus ex dispositione legum in pœnis infligendis habetur respectus ad personas dignitate, libertate, vel alia qualitate

præditas. I. *Aut facta*, 16, § 4, ff. de Præmis, l. ad Bestias, 31, ff. eod. can. *Indignantur*, cau. 32, q. 6. Verum quia respectus iste personarum habetur jure sic disponente, non delinquitur contra justitiam, nec quod uni ex justitia debetur, alteri tribuitur, consequenter non committitur vitiosa acceptione personarum per regulam reprobata.

8. Sic pariter non est contra regulam fallentia, quam alii tamen ponunt; quod si quis ætate major contrahat cum pupillo sine auctoritate tutoris, major vi contractus obligetur pupillo, et tamen hic non obligetur illi l. Julianus, 13, § 29, ff. de Action. empt. quia hoc non contra justitiam, sed juxta expressam juris dispositionem, sicque juste, ac sine vitiosa acceptione personarum fit, præsertim cum hæc juris ordinatio æquissima sit, utpote per quam calliditati hominum obviatur, ne pupillis et minoribus infirmitate ac imbecillitate iudicii plerumque adhuc laborantibus per circumventionem contractibus nocere valeant. l. 1, ff. de Minor.

## REGULA XIII.

## IGNORANTIA FACTI, NON JURIS EXCUSAT.

1. *Regula unde desumpta?* — Hæc regula desumitur ex l. Genero, 8, ff. De his, qui not. infam. ex l. 1, et seqq. ff. de Juris, et facti ignorantia; uti et ex tit. XVIII, c. de Juris et facti ignorantia.

2. *Ignorantia quid?* — Quæritur I. Quomodo hæc regula intelligenda, et quis verus illius sensus sit? Ante responsionem sciendum, quid, et quotuplex sit ignorantia. Quidam errorem cum ignorantia confundunt, et idem esse dicunt, sed minus solide; quia error consistit in positivo falso iudicio intellectus. Ignorantia autem consistit in privatione scientiæ; et communiter bene describitur: « Ignorantia est privatio, seu carentia scientiæ, seu notitiæ circa ea, quorum scientiam habere possibile est. »

3. *Alia est ignorantia facti proprii vel alieni.* — Ignorantia sic descripta alia est facti, alia juris. Ignorantia facti est, et dicitur, quando quis ignorat aliquid esse factum vel omissum, ad hunc, vel illum pertinere; v. g. ignorat quis, rem esse venditam: vel utrum provincia quædam ad hunc vel illum pertineat principem: an pugna sit commissa, an victoria ab hoc vel illo reportata. Hæc ignorantia rursus alia est « facti proprii, » alia

« facti alieni. » Ignorantia « facti proprii » est, qua facta nostra propria seu ea, quæ a nobis ipsis facta sunt, ignoramus, seu non amplius scimus. Ignorantia « facti alieni » est, qua nescimus, quæ ab aliis fiunt, vel facta sunt.

4. *Alia juris.* — Ignorantia juris est, qua ignoramus jura, seu leges vel canones, aut statuta municipalia, mandata vel decreta; tali ignorantia laborat v. g. qui solemnitates juris ad alienationem rerum ecclesiasticarum requisitas ignorat: vel quod decimæ novallium primo triennio semper pertineant ad parochum, etc.

5. *Utraque alia vincibilis; alia invincibilis; et quæ in foro interno?* — Ignorantia tam facti quam juris ulterius alia vincibilis, alia invincibilis est, quæ utraque aliter in externo, aliter in foro interno sumitur. In foro interno enim invincibilis ignorantia (quam etiam antecedentem, item probabilem et justam vocant) illa dicitur, quæ morali diligentia impeari, seu tolli non potuit, eo quod vel in mentem non venerit cogitare vel dubitare de opposito: vel etsi inciderit, scientiam tamen vel notitiam etiam adhibita diligentia et inquisitione acquirere, et ignorantiam depellere quis non valuit. Ignorantia vincibilis vero (quæ etiam consequens dicitur) in eodem foro interno est, quæ morali diligentia superari, et tolli, scientiaque opposita acquiri potuisset et debuisset.

6. *Quæ in foro externo dicatur vincibilis.* — In foro externo autem, in quo quis scire præsumitur id, quod illius status conditio, aut officium requirit, omnis ille dicitur habere ignorantiam vincibilem, qui ea ignorat, quæ scire ad statum et conditionem illius requiritur, etiamsi de illo dubitare, vel cogitare non inciderit, arg. c. fin. § Si quis. de Clandest. despons.

7. *Ignorantia vincibilis alia dicitur supina, seu crassa: alia affectata.* — Porro ignorantia vincibilis adhuc dividitur in crassam, seu supinam, et in affectatam. Crassa, seu supina est, qua quis ex tædio, pigritia, aliave insufficienti causa vel nullam, vel non debitam adhibet diligentiam ad acquirendam notitiam eorum, quæ ex statu aut conditione scire debet: affectata vero ignorantia dicitur, qua data opera scire quis non vult, vel scire cavet, quæ scire tenetur, ut vel liberius, et sine remorsu conscientiæ delinquere, vel excusationem circa legis obligationem prætereundere queat: juxta quod de talibus legitur

Job, cap. XXI, 14. *Qui dixerunt Deo: Recede a nobis, scientiam viarum tuarum nolumus, et Psalm. xxxv, 4, Noluit intelligere, ut bene ageret.* Sic de natura et diversitate ignorantiae tam theologi, quam juristæ communiter docent, suamque doctrinam desumunt et firmant ex juribus, n. 1, citati præsertim ex titulis ff. et C. de Juris et facti ignorantia.

8. *Aliud est ignorantiam excusare in ordine ad vitandum damnum: sed ad acquirendum lucrum.* — Prænotandum etiam hic, aliud esse ignorantiam excusare in ordine ad damnum vitandum: aliud in ordine ad acquirendum lucrum, arg. l. 8, ff. de Jur. et facti ignor.

9. *Regula habet duas partes, et quoad utramque secundum forum externum, et de ignorantia invincibili intelligenda est.* — Resp. I. Ad quæstionem, n. 2, positam: Regula XIII, quæ duas habet partes, unam de ignorantia facti, alteram de ignorantia juris, quoad utramque intelligenda est secundum forum externum, et quidem de invincibili, non de vincibili ignorantia, per hanc enim sive facti, sive juris sit, nominem excusari vel juvari, certum est, quia, si crassa et supina habetur, deperditi, socordis, ac hoc ipso inexcusabilis hominis est, l. Plurimum, 3, ff. de Juris et facti ignorantia, indeque a jure reprobatur, etiamsi facti sit, l. 6, ff. de Juris et facti ignorantia, ibi: « Nec supina ignorantia ferenda est factum ignorantis; » juncta l. Regula est, 9, § 2, eod. ibi: « Quid enim, si omnes in civitate sciant, quod ille solus ignorat? » Si juris est, etiam a sacris Canonibus rejicitur c. fin. de Constit. in 6, ibi: « Dum tamen eorum ignorantia crassa non fuerit aut supina. » Si autem affectata, sive juris sive facti fuerit, minus excusat, utpote pejor omnia alia. Et ratio ulterior est, quia scire, et scire debere, facileque posse in jure paria habentur, cit. c. fin. § Si quis. de Clandest. despons., et l. Si Titius, 48, pr., ff. de Fidejuss.

10. *Verus sensus regulæ quoad primam partem de ignorantia facti quis?* — Resp. II. Verus regulæ sensus quoad primam illius partem de ignorantia facti hic est: « Invincibilis, seu probabilis ignorantia facti alieni in foro externo excusat tam quoad vitandum damnum, quam in commodis, » per jura citata, juncta l. 8, ff. de Jur. et fact. ignor., ibi: « Error facti ne maribus quidem in damnis vel compendiis (id est, in damno vitando, vel lucro captando) obest. » Ratio est, quia, cum facta aliena quasi innumera, ea-

que diversa et obscura sint, etiam prudentissimos, et expertissimos facile latent et fallunt, ut dicitur l. 2, ff. de *Juris et facti ignor.* Unde etiam hæc ignorantia facti alieni in judiciis semper præsumitur, nisi a parte adversa scientia probetur, arg. l. *Verius*, 21, ff. de *Probat.*, et c. *Præsumitur*, 47, de *Reg. jur.*, in 6, ibi: « Præsumitur ignorantia, ubi scientia non probatur. »

11. *Facti alieni, non proprii ignorantia excusat.* — Dicitur autem notanter: « Facti alieni; » nam ignorantia facti proprii non excusat, c. *Ab Excommunicato*, 41, de *Rescript.*, et l. *Quanquam*, 7, pr., ff. ad *S. C. Vell.*, cum nemo prudens censeatur ignorare facta propria, nisi forsan valde antiqua sint, vel quis plurimis negotiis implicatus, aut in extremis existens foret, indeque verisimilis oblitio prudenter præsumi valeret, uti post Marant. in l. *Is potest.*, ff. de *Acquir. hæredit.*, n. 227; Menoch., de *Præsumpt.*, lib. VI, *Præsumpt.*, 23, a n. 28, et seqq., observat Barb., in hanc reg., n. 20. et seq.

12. *Solvitur objectio.* — Nec obstat responsioni can. *In lectum*, 6, cau. 34, q. 2, ubi habetur quod si marito sit imposita penitentia ob concubitum cum sorore uxoris suæ ignoranter factum; cum dicta soror absente uxore lectum clanculum ingressa maritum deceiverit, et secum quasi cum uxore propria ad copulam induxerit. Nam contra est, tum quia ille maritus propterea non fuit habitus reus adulterii: quod autem punitus fuerit, non in pœnam delicti, sed ad evitandum scandalum, et pro majori cautela, si forsan in cavendo incestu et adulterio negligentia vel culpa intervenisset, factum est, Gloss. hic, et in cit. can. *In Lectum*, §. *Pœnitentiam*.

13. *Pariter non obstat c. Innotuit.*, 20, de *Elect.*, ubi canonici ignoranter eligentes indignum ob defectum natalium repelluntur: consequenter etiam ignorantia facti non excusare satis innuitur. Nam respondetur primo: Pœnam privationis tunc non fuisse impositam. Resp. secundo: Canonicos illos improvide, et ex vincibili ignorantia facti elegisse; quia ex officio tenebantur indagare et habere notitiam de habilitate eligendi: de vincibili autem ignorantia regula non loquitur, sed ipsa eam rejicit juxta dicta n. 9.

14. *Verus sensus regulæ quoad secundam partem de ignorantia juris.* — Resp. III. Verus sensus regulæ quoad secundam illius partem de ignorantia juris sequens est: « Nulla

ignorantia juris sive divini et naturalis, sive humani, sive legis, sive canonis, sive statuti municipalis, sive receptæ consuetudinis in foro externo excusat quoad acquirendum lucrum: bene vero quoad vitandum damnum in re sua amittenda emergens, » arg. can. *Turbatur*, 12 cau. 1, q. 4. Ratio est, quia leges ab omnibus intelligi et sciri debent, l. *Leges*, 3. C. de *Legib.* et l. *Constitutiones*, 12. C. de *Jur. et fact. ignor.*, ibi: « Constitutiones principum nec ignorare quemquam, nec dissimulare permittimus, » at proin ignorantia juris, sicuti ignorantia facti, non præsumatur, sed pro culpa lata habeatur, uti post Bart. et Bald. bene observat Barb. hic, n. 25.

15. *Ignorantia juris non excusat quoad acquirendum lucrum, bene vero quoad vitandum damnum.* — Dicitur autem notanter, « quoad acquirendum lucrum, bene vero quoad damnum vitandum in re sua amittenda; » quia leges ipsæ expresse sic distinguunt, l. *Juris*, 7, ff. de *Jur. et fact. ignor.*, ibi: « Juris ignorantia non prodest acquirere volentibus, suum vero petentibus non nocet, » et l. *Error.*, 8, ff. eod. ibi: « Cæterum omnibus juris erroris in damnis avertendis non nocet. »

16. *Solvitur objectio contra regulam.* — Objicitur contra secundam hanc partem regulæ c. fin. de *Constit.*, in 6, ubi expresse habetur, quod statutorum, sicque juris ignorantia excuset, nisi sit crassa aut supina. Resp. ibi sermonem esse de sententiis censurarum, ad quas contrahendas contumacia, et quasi contemptus potestatis ecclesiasticæ aliquid sub censura prohibentis requiritur, c. *Sacro*, 48, de *Sent. excom.*, et c. *Ex parte*, 23, de *V. S.* quæ contumacia sine prævia monitione et notitia prohibitionis sub censura factæ non datur.

17. *Objicitur ulterius: Jura, leges ac canones innumeri sunt, et maxima pars hominum eos inculpabiliter ignorat, cum illos scire nec status, nec conditio eorum requiratur; ergo æquum est, ut etiam juris ignorantia probabilis aut invincibilis excuset.* Resp. objectionem procedere quidem et stringere in foro interno, non item in externo: in hoc enim juxta jura n. 14, citata nulla attenditur ignorantia; eo quod, licet multi jura ignorent, de iis tamen in judicialibus, et subinde etiam extrajudicialibus majori momenti negotiis ipsos concernentibus per alios informari, ac notitiam eorum acquirere possent, etc., indeque ipsos ignorantia illorum in foro externo non excuset.

18. *Quis teneatur solvere expensas litis? Remissive.* — Cæterum ex regula hactenus declarata adducit Glossa hic notabilem doctrinam, an et quando vi dictæ regulæ quis in judicio teneatur ad expensas litis. Verum quia de hac materia sufficienter jam egimus lib. II, tit. XXVII. § 7, lectorem illuc remittimus.

19. *Fallit regula quoad primam partem in factis notoriis ac publicis.* — Quæritur II. An et quales regula XIII, patiatur fallentias? Resp. I. Eam quoad partem primam de *Ignorantia facti* fallere in casibus, et factis publicis ac notoriis, aut valde notabilibus et ponderosis, quæ fere cunctis patent, et a quovis modica duntaxat adhibita diligentia sciri possunt. Barb., hic, n. 22; Menoch., de *Præsumpt.*, præsumpt. 23, n. 68, arg. cit. l. *Regula est*, 9, ff. de *Juris et fact. ignor.*, ibi: « Sed facti ignorantia ita demum cuique non nocet, si non ei summa negligentia objiciatur; quid enim, si omnes in civitate sciant, quod ille solus ignorat, » cum concordant, quamvis hæc propria fallentia dici vix queat; cum in hujusmodi casibus censeatur adesse supina vincibilis ignorantia facti, sicut in illis factis, quæ quis vi status et conditionis scire tenetur: de qua ignorantia quia non loquitur regula per dicta n. 9, fallentia in dictis casibus proprie non censetur subjecta.

20. *Fallit etiam quoad secundam partem de ignorantia juris in militibus, minoribus ac subinde etiam in rudibus.* — Resp. II. Quoad secundam partem de ignorantia juris regula fallit primo in militibus et minoribus l. *Regula est*, 9, ff. de *Jur. et fact. ignor.* et l. 1, C. eod. Item in omnino rudibus, casu quo copiam peritorum juris, quos consulant, non habent, uti communiter volunt doctores arg. cit. l. *Regula*, § 3, ff. de *Jur. et fact. ignor.*, t. I, § fin. de *Edendo*, ac adhuc clarius l. fin. C. de *Testament.*, ibi: « In illis locis, in quibus raro inveniuntur homines litterati, per præsentem legem rusticanis concedimus, » etc.

21. *Item in feminis: et quomodo?* — Fallit secundo, juxta aliquos in feminis propter sexus infirmitatem arg. sæpe cit. l. *Regula*. Verum quia hæc lex non absolute, sed cum restrictione feminas excepit, ibi: « Quod et feminis in quibusdam causis propter sexus infirmitatem dicitur: » causas autem has l. fin. C. eod. non nisi illas esse dicat, ubi agitur de vitando damno, ibi: « Ne passim liceat feminis omnes suos contractus retrac-

tare in his, quæ ignoraverunt, statuimus, si per ignorantiam juris damnum aliquod circa jus vel substantiam patiantur, in his tantum casibus, in quibus præteritarum legum Auctoritas eis suffragatur: » hinc propria fallentia dicenda non videtur; cum juris ignorantia quoad vitandum damnum nulli noceat, sed quemvis etiam vi regulæ excuset juxta dicta num. 15.

22. *Item quando jura non sunt clara, sed ambigua.* — Fallit tertio, quando jura non sunt clara, sed ambigua, obscura, ac propterea multum controversa inter doctores. Hujusmodi enim juris ignorantia tam quoad acquirendum, quam vitandum damnum excusat. Barb. hic, n. 26; Abb., in c. de *Quarta de præscript.*, n. 12, et alii communiter. Et ratio est, quia ubi jus est vere dubium, ac inter doctores controversum, non est major ratio, cur quis unam potius quam aliam opinionem sequi teneatur; quin imo talis ignorantia proprie non est juris, cum de ratione juris seu legis sit esse manifestum, can. *Erit autem lex.*, dist. 4.

## REGULA XIV.

CUM QUIS IN JUS ALTERIUS SUCCEDIT, JUSTAM IGNORANTIE CAUSAM HABERE CENSETUR.

1. *Hæc regula exemplificat duntaxat, et declarat antecedentem.* — Hæc regula desumpta ex l. *Qui in alterius*, 42, pr., ff. de *Reg. jur.*, nil aliud vult, quam aliquo juris exemplo declarare et confirmare regulam præcedentem XIII, uti bene notat Gloss. hic in fine; cum enim juxta dicta in antecedente regula, ignorantia facti alieni excuset: quid autem antecessor debeat, an, et qualiter bona ipsius gravata sint, sit factum alienum, ignorans illud successor merito excusatur. Hinc pro brevi hujus regulæ expeditione:

2. *Succedens in jus alterius sive universale, sive particulare præsumitur ignorare facta antecessoris.* — Quæritur, quomodo hæc regula sit intelligenda, et quis verus illius sensus? Resp. I. Per verba: « In jus alterius succedit. » Hic non tantum intelligi illum, qui ex testamento, vel ab intestato in universum jus alterius, sed quemvis alium, qui etiam quoad res particulares in jus alterius succedit, veluti legatarius, fidei commissarius, donatarius, emptor; imo etiam prælati, et alii in dignitate, officio, et beneficio succedentes: cum hi æque ac hæredes facti antecessorum,